

Multis post annis Guilielmum de *Bobun* virum spectatæ fortitudinis Northantoniæ Comitem creavit Edwardus Tertius, cumque frater ejus major natu Humfredus de *Bobun* Herefordiæ & Essexiæ Comes Angliæque Constabularius bellioso illo ævo Constabularii oneri ferendo impar esset, Angliæ etiam Constabularium instituit. Huic in Comitatu Northantoniæ filius Humfredus, uti in Comitibus Herefordiæ & Essexiæ patruo sine prole demortuo succedens duas progeniuit filias, alteram Thomæ de *Woodstocke* filio Edwardi Tertii minimo natu, alteram Henrico Lancastrensi Duci Herefordiæ, qui postea Regnum obtinuit, elocavit. Thomæ autem de *Woodstocke* filia hunc avitum Northantoniæ titulum cum aliis in *Staffordorum* familiam suis nuptiis

intulit. Cum autem illi honoribus postea spoliati, Edwardus VI Guilielmum *Par* Essexiæ Comitem, aulicum omnibus numeris absolutum titulo Marchionis Northantoniæ honoravit, qui nostra memoria nulla suscepta prole diem supremum obiit. Dum autem hæc recognoscimus Sereniss. Rex Iacobus Henricum *Howard* postremi Ducis Norfolciæ fratrem, virum ingenio splendidissimo, eloquentia profluenti, optimis artibus ornatissimum, ad consilia prudentem, & in posterum providum ad *statum & stilum* Baronis *Howard de Marnehill*, & honorem Comitis Northantoniæ uno eodemque tempore Anno Salutis MDCLIII evexit.

*Pertinet ad hunc agrum Parochiæ 326.*

